

Ego vero audebo: Nec mei tam ingenij, aut virum fiducia; “  
sed eorum, à quibus jam diu mutuor & sumo. Quid enim “  
hic meum? Ordo aliquis & contextus fortasse: At verba, “  
sensusque (*Instrumenta ipsa & fundamenta*) mihi præcunt “  
illi, quos in hac ipsa re (fidenter dicam) Annibal aliquis “  
audire nihil abnuat, aut ipse Cæsar, (*addo: Rudolphus, Al-* “  
*pboxsus, Albertus, Imperatores & Principes alij*) Nostri isti “  
(*Mathematicos* me intelligere palam est) ab omni pænè “  
ævo *Mathemata* continuatâ serie & intemeratâ fide scri- “  
pserunt. Itaque pergam audacter, nec vacillanti pede in- “  
incepto: & veterum *recentiumq;* scriptorum velit hortis sen- “  
tentiæ flores legam, & intexam in has capitum co- “  
rollas: Quod si probè & judicio à me fiet, nemo damnet: sin “  
aliter, tum ego quoque nihil negem.

Quisquiliæ volantes & venti spolia hæc esse.

Sed utrum horum sit, jam res docebit: quam (*σὺν θεῷ*) “  
ordior. Tu lector, cognosce, utere, judica. Quod si studium hoc  
tibi non ingratum esse intellexero, plura, etiam majora,  
quæque studium fortè magis redoleant Theologicum, quo-  
rum pars à linea latent, pars sub calamo calent, pars manum  
manent, pars disposita seposita, præterquam quæ mente me-  
ditor memoriter DEI adjutus gratiâ, si is vitam diutius ser-  
vaverit, sanitatem incolumem præstiterit, facultates, re-  
rum gerendarum nervos, sufficientes suppeditaverit, da-  
bo: Tu fac æquanimitas tua ad scribendum augeat indu-  
striam. Vale.



AD CLA-